

367

365

371

361

376

356

416

316

466

266

Ende

Anfang

352

### De Christianis de Syria, Surianis.

Suriani, qui et Syri, Christiani sub diversis gentilium principibus in servitute misera degunt, et sunt infecti erroribus Graecorum, quos imitantur, haeretici, et homines falsi, dolosi, fures, zelotypi in uxores, sicut Sarraceni. Hi etiam nobiscum sunt in templo sancti sepulchri, et possident capellam sanctae Helenae, ibi sua Officia peragentes. Morantur autem ad latus Indianorum in tabernaculo velis circumdato et caetera,

### (B) De Christianis Armenis, quales sint?

Armeni etiam in hac sacra ecclesia nobiscum sunt, ab Armenia venientes, es sunt Graecorum implacabiles inimici, nec tamen cavent errores eorum, nec eis carent. Dum enim conficiunt, aquam vino non apponunt, ut Graeci; sextis feriis carnes manducant; et diem nativitatis Domini colere nolunt; sed ipsi jejunant pro eo, quod ad nostras miserias illo die natus est Dominus; diem autem Epiphaniae solenniter celebrant, propter baptismum Christi, in quo dicunt esse festum spiritualis nativitatis Christi. In quo etiam errant. Hi Armeni, ut dictum est superius de Georgicis, habuerunt montem Calvariae, sed eo amissio emerunt a Soldano locum in superiori templi ambitu, et ibi chorum consecraverunt, et habitacula fecerunt. Sunt autem Armeni minus nobis difformes quam quicumque alii praefati. Porro audivi, frequenter esse quosdam Armenos, qui nullos habent sacerdotes, nisi fratres Praedicatorum, qui sunt eorum episcopi curati et sacerdotes, et sunt optimi catholici, quos quidam frater Ordinis ad fidem convertit, et Summam S. Thomae in eorum linguam transtulit, et alias libros catholicorum doctorum. Solent illi Armeni pro tempore visitare generalem magistrum Ordinis Praedicatorum, et se filios suae obedientiae exhibere, et sepulchrum beati Dominici patris nostri visitant in Bononia cum multa devotione. Hoc audivi a multis fratribus, qui eos viderunt et audiverunt loquentes cum Generali, modo quo poterant, quia latina lingua carent et italicam ignorant.

